

PROLOGVS

- Homerum, Tullium aut Demosthenem subinde legas, sed si uerba, & facta Christi, & menti imprimas, & opere exequaris. Atqui Ioannes nihil aliud habet, quam uerba & facta Christi, eaque selectissima. Deinde nullus Euangelistarum tam clare & diffuse de Christi diuinitate scripsit, ut Ioannes. Atqui (ut infra audietis) non parum refert, imo summa consolatio est, scire, quod Christus non tantum homo fuerit, sed & Deus, Dei filius. Præterea cum Euangelium hoc potissimum contra hæreticos scriptum sit, uidebatur mihi summe congruere huic infelicissimo æuo nostro, in quo ferme omnes hæreses repullula sunt. Ad hæc, cum Euangelium hoc ubique singularem quandam præ se ferat grauitatem, non parum conducere potest ad corrigendos mores nostros, quos ad leuitatem, & petulantiam plus satis declinasse uidemus. Demum, cum & Christus & Apostoli prædixerint, in nouissimis diebus futura tempora periculosa, nosque in ea tempora uel experientia teste incidemus, nihil oportunius uidebatur, quam Euangelium hoc, quod abunde remedia & consolationes subministrat, contra omnia aduersa, & tentationes. His igitur aliisque causis permotus, Euangelium hoc enarrare institui cui non immerito præmissi hæc sap. uerba, *Audite me, &c.* Ea siquidem uerba iustissime dicere nobis potest sanctus hic Euangelistæ, Vere enim de rebus magnis loquitur in suo Euangelio, imo de rebus maximis: deinde non
- erronea,